

DE VI HISTORICA
DISCIPLINAE PHILOSOPHICAE LEIBNITII
MEDITATIONES,

QUAM

PARTEM PRIMAM.

VENIA SUPERIORUM, CONSENSU AMPL. FAC. PHIL.
AD. UNIV. IMP. ALEX. IN FERDIA,

PUBLICAE MODESTE SUBJICIUNT CENSURAE

JOHANNES WILHELMUS SNELLMAN,
Philosophiae Magister et Doctus,

ET

RESPONDENS

RUDOLPHUS ISRAEL HOLSTI,
*Bibliopolaris Bremensis,
Ustrobotholensis.*

In Auditorio Juridico die xv Junii MDCCLXXXVI.

M. A. N. S.

HELSINGFORSIAR,
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA FRESCHELLIANA.

Avhandlingen förseddes med mellanblad vid byte av respondenter. Som sådana anlidade J. V. Snellman studenter ur Österbottniska avdelningen. Hans nationskamrater fick på så sätt tillfälle att uppträda som respondenter, ett krav för magistersexamen.

4 DE VI HISTORICA DISCIPLINAE PHILOSOPHICAE LEIBNITII MEDITATIONES

Rerum gestarum scientia, etsi tota doctrinae atque suavitatis sit plena, facta tamen scrutatoribus prebet varia, ceteris graviora et ad mentem humanam informandam aptiora. Aestimationem vero rerum diversis temporibus diversam intelligentes, ad id animum facile adducimus, eandem genio temporis, quo vixerit quisque scrutatorum, accommodatam esse. Rem ita se habere, jam ex eo concludere licet, quod per se relativae sint notiones istae pretii, utilitatis, vis et sic porro. Unde omnes res graves, utiles et pretiosae dici possunt, modo diversum supponas canonem, ad quem referantur omnia atque aestimentur. Cujusque igitur aevi cogitandi et vivendi rationem talem esse putaverimus aestimationis regulam. Quaevis aetas cultu nititur temporum praeteritorum. Quam ob rem cultura aetatis praeterlapsae eo majorem habet vim, quo magis culturae praesenti conveniat faciemque praebeat gradus praesentis fastigii.

Quae in universonum de rebus gestis dijudicandis attulimus, ea etiam in Historia philosophiae valere, apertum est. De vi igitur disciplinae philosophicae Leibnizii historica disserturi, non possumus, quin eam metiamur *ex parte, qua Philosophiae incrementis haecce disciplina profuerit*. Haec vero incrementa quaenam sint, comparatione inter disciplinam laudatam atque philosophiam hodiernam instituta, in aprico erit. At aequae necessarium videtur, ut respiciamus Systemata, quibus potissime adhaereat atque superstruatur haec ipsa disciplina. Ita enim patebit, quinam eidem in concatenatione quasi Systematum philosophicorum tribuendus sit locus. Res vero anceps et perplexa videri possit: quae sit nostri aevi philosophia? Sane difficile videtur dictu, utrum hoc vel illud Systematum, quae novissimis temporibus in lucem prodierunt, culmen efficiat scientiae et culturae humanae. Quae autem Systemata cum in eo consentiant, quod fundamenti quasi loco, sibi invicem belligerentur, atque cum, cetera fere omnia, in unum illud, quod *Hegelio* gaudet auctore, arma et apparatus convertant; concludere optimo jure licet, aut nihil novi successum habere posse, nisi hoc uno refutato et extincto, aut hoc ipsum unquam sistere viam, qua progrediatur necesse est philosophiae studium. Irrita hucusque fuisse omnia hujus Systematis evertendi conamina, nemo rei peritus negabit. Nil mirum igitur nos *Philosophiam hodiernam disciplina philosophica Hegelii contineri* putare — Sequitur hinc nosmet disciplinam *Leibnizii* philosophicam cum *Hegelianam* comparaturos esse. Alteram relationem, quam negligendam haud esse duximus, sponte praebet *Leibnizius*, sua ad disciplinam *Cartesii* atque *Spinozae* referens decreta. Est igitur in mente hanc primo relationem scrutari, illam deinceps instituere comparationem. Quibus innixi, vim disciplinae laudatae historicam exponere conabimur.

Theologiae est fuitque, relationem creatorem inter et creaturam exponere. In hoc eodem, constat, Philosophiam cujuscunque aetatis verti cardine. Variis rem a Philosophis expositam invenies verbis, variamque indigitatam esse methodum, qua clare et distincte percipi possit. At valuerunt duae inprimis sententiae, quarum altera causam rerum extra res ipsas positam, per se concipiendam, atque exinde ad effectum progrediendum putavit; altera eandem, uti naturam quandam naturantem, ipsis rebus inesse et ex hisce, via analytica (per regressum), enucleari posse docuit. Fuit illa, quantum novimus, primaria, gentibus orientalibus communis; haec posteriori tempore orta, post Christum natum sensim occubuit. Cum vero creatoris notitia, nisi creaturam respicias, notio sit creatoris, in

solo intellectu quasi existens; in disquisitionem nexus cogitationis et materiei, animae et corporis, haec abiit relatio. Qui philosophiae status, jam a Graecis oriundus, apud philosophos Christianos invaluit recentiorique tempore unicus fere fuit. Hinc Scholasticorum in Nominalistas et Realistas divisio, Ontologia, Formalismus, *Baconis* denique Empirismus. Recurrit post *Baconem* haec quasi vacillatio; at penitus in dies revolvitur intima rei natura. Ita notio oritur existentiae, extra existentiam materiei, existentiae nempe cogitationis, essentiae aequalis. Unde discursus philosophiae duplex, ab existentia cogitationis ad materialem, et ab existentia materiei ad cogitatam. Qui hanc secuti sint viam, creatorem cum re creata confuderunt, qui illam, nullam inter creatorem et creaturam concipere potuerunt communionem. Hos igitur Idealistas, illos Realistas appellari decet. Haec, me iudice, summa est recentioris philosophiae, ex qua vis cujusque Systematis historica ponderanda. *Hanc igitur unam rem respiciet nostra dissertatio*, nam profluunt ex hoc fonte cetera omnia. 10

§. I.

In serie Idealistarum haud parvum obtinet locum *Cartesius*, qui, etsi disciplinam ab omni parte absolutam non ediderit, auctor tamen fuit via cogitationis ulterius progrediendi. Effatum illud, nihil sine causa quadam effici, in primis de culturae humanae valet progressu. Concludere ita fas est, philosophiam *Baconis* Idealismum provocasse *Renati Cartesii*. Nam sectatores illius non tantum omni vi in naturam investigandam incubuerunt, sed etiam in Ethicis sola experientia dux facta est. At est haec infinita (per *Inductionem* et *Analogiam*), unde etiam in infinitum omnem detrudit veritatem. *Cartesius* e contrario, via experientiae relicta, sola rationis ope, quae vera, quae falsa, docere conatus est. 20

Cartesius jam per se verum esse docuit: omne cogitans existere¹; cetera in dubium vocari posse. Cum vero Dei, entis perfectissimi, notio homini (cogitanti) insita sit, Deus re vera existit². Hinc, quidquid aequae clare et distincte cognoscamus, extra omnem dubitationem positum est³. Hinc igitur rerum sensibilibum existentia probanda⁴. Porro Deum, uti causam rerum ultimam, extra res ipsas positum, perfectionesque vel attributa divina ex sola Dei notione deducenda esse, posuit⁵. Mundum duabus 30

¹ Vide: *Renati Des Cartes Opera Philosophica*, Francofurti ad Moenum 179a edita. Meditatt. de prima Philosophia I, Princip. Philos. P. 1, VII, X, XI. Dissertatio de Methodo etc. IV, (pag. 18).

² In l. c. M. d. p. Ph. III. (pag. 21), V. (pag. 28, 29). Pr. Ph. P. 1, XIV, XV et praeceteris XVIII, ubi verba sonant: »Sic, quia Dei sive entis summi Ideam habemus in nobis, jure possumus examinare a quam causa illam habeamus; tantamque in eam immensitatem inveniemus, ut plane ex eo simus certi, non posse illam nobis fuisse inditam, nisi a re, in qua sit revera omnium perfectionum complementum, hoc est nisi a Deo realiter existente. Cfr. Diss. de M. l. c. 40

³ Pr. Ph. P. 1, XXX: »Merito enim deceptor dicendus esset (Deus), si illam (cognoscendi facultatem) perversam ac falsum pro vero sumentem dedisset.» Cfr. XXIV, XXV et M. de pr. Ph. V, VI.

⁴ Pr. Ph. P. 1, XIII, XXIV. M. de pr. Ph. VI. (pag. 35): »atque cum Deus non sit fallax, omnino manifestum est, illum nec per se immediate istas ideas (rerum sensibilibum) mihi immittere, nec etiam mediante aliqua creatura, in qua earum realitas objectiva non formaliter sed eminenter tantum contineatur. Cum enim nullam plane facultatem mihi dederit ad hoc agnoscendum, sed contra, magnam propensionem ad credendum, illas a rebus corporeis emitti, non video, qua ratione posset intelligi ipsum non esse fallacem, si aliunde quam a rebus corporeis emitterentur: ac proinde res corporae existunt. 50

⁵ Pr. Ph. 1, LI. »Et quidem Substantia, quae nulla plane re indigeat (ad existendum), unica tantum intelligi potest, nempe Deus. Alias vero omnes non, nisi ope concursus Dei, existere posse percipimus. Atque ideo nomen Substantiae non convenit Deo et illis univoce, ut dici solet in Scholis, h. e. nulla ejus nominis

contineri Substantiis¹, mente et corpore, quarum attributa sunt cogitatio et extensio, atque ope concursus divini vigere². Quod ad relationem praeterea Deum inter et mundum, statuit: Deum quidem esse causam efficientem, causam vero finalem creationis eruere, non fas esse³; nullam Substantiae significationem Deo et creaturis esse communem⁴; unde etiam realis inter substantiam mentis et corporis interest distinctio⁵. Hinc etiam libertatis humanae contra praeordinationem divinam repugnantia⁶. Sufficiunt allata. Etenim ex his perspicitur potest, Cartesium conatu excidisse. Vitio ei verterunt jam contemporaneorum plerique, male inter mentem et corpus ita disjungi, ut substantia cogitans ab extensa plane diversa esset⁷. Hinc etiam nullam inter Deum et res creatas admisit communionem. Nam mera ita est assertio, quae statuitur causalitas Divina. Est vero causa erroris interior, quod, cum de omnibus dubitandum esse statuerit, atque exinde existentiam Dei probaverit, revera, ex contingentia mundi ad necessitatem Dei processit vel, forsitan aptius, regressus est⁸. Cujus tamen rei ignarus, hinc Deum, illinc mundum existentem pressit, nec ad hunc ab illo pervenire potuit. Sed hanc rem, ejusque cum argumento, ut dicunt, cosmologico nexum infra accuratius exponemus.

20 §. II.

Fuit haec labes, cui *Benedictus de Spinoza* acutissimus, veritatis idem amantissimus, mederi conatus est. At occuluit ardor zelotarum improvidus fructus ingenii illius atque laboris uberrimos. Proposito satisfaciet, pauca tantum citasse viri laudati decreta, quorum pleraque initio Appendicis ad Partem I:am Ethices⁹ continentur, verbis tenus: »His Dei naturam ejusque proprietates explicui, ut, quod necessario existat¹⁰, quod sit unicus¹¹; quod ex sola suae naturae necessitate sit et

30 significatio potest intelligi, quae Deo et creaturis sit communis; et XXII: »Magna autem in hoc existentiam Dei probandi modo, scilicet per ejus Ideam, est praerogativa; quod simul quisnam sit, quantum naturae nostrae fert infirmitas, agnoscamus.» Cfr. P. 1, XIX, XXIII; P. B, I; Diss. de Meth. IV (pag. 19.)

¹ Pr. Ph. P. 1, LII; Med. de pr. Ph. VI. (pag. 35, 36).

² Pr. Ph. P. 1, XL, LI (Vide supra), LII et LIII; Med de pr. Ph. III, (pag. 20). Diss. de Meth. I. c. Memorasse hoc loco non pigebit, Cartesium unitatem mundi eo demonstrare (Pr. Ph. P. B, XXII): Quod sit materia substantia extensa (nullas habens extensionis fines I. c. XXI), ideoque »omnia omnino spatia imaginabilia, in quibus alii isti mundi essent, jam occupare.»

³ Pr. Ph. P. 1, XXVIII; P. 3, II.

40 ⁴ Vide supra Notam 5:am.

⁵ Pr. Ph. P. 1, VIII et LX; Med de Pr. Ph. VI (prae cett. pag. 34, 38 seqq.) Diss. de Meth. I. c.

⁶ Pr. Ph. P. 1, XL, XLI.

⁷ Vide prae cett. in I. c. Objectiones IV:ae (pag. 94 et 95) et V:tae (pag. 205 seqq.)

⁸ Qvam rem *Rixner* (Handb. d. Gesch. d. Philos., B. 3, §. 16) his male exposuit verbis: »Das sich selbst zerstörende Beginnen vom Endlichen, als einem für sich bestehenden auszugehen.» Nam Cartesius e contrario finitum per infinitum firmare studuit. At eo ipso infinitum finitum reddidit. Cfr. Pr. Ph. P. 1, XX, XIV, XVIII; Med. de pr. Ph. III. (pag. 18, 20) et V. (pag. 29); Diss. de Meth. IV. (pag. 21).

50 ⁹ Vide B. de Spinoza Opera Posthuma, in Tom. III:o *Corp. Philoss. Optima Notae, Edid. A. Gfroerer, Stuttgartiae* 1830.

¹⁰ In I. c. Ethices P. I, Propos. XI. hujusmodi demonstratione probatur: »Si negas [Deum nempe, sive (ex Defin. VI) Substantiam constans infinitis attributis, necessario existere], concipe, si fieri potest, Deum non existere. Ergo (per Axiom. VII) ejus essentia non involvit existentiam. Atqui hoc (per propos. VII) est absurdum: Ergo Deus necessario existit. Q. E. D. Audit vero Axioma VII: »Quicquid, ut non existens, potest concipi, ejus essentia non involvit existentiam,» et Propos. VII: »Ad naturam Substantiae pertinet existere.»

60 ¹¹ Propos. XIV; Corollar I: »Hinc clarissime sequitur, I:o Deum esse unicum,

agat¹; quod sit omnium rerum causa libera et quomodo²; quod omnia a Deo sint et ab ipso ita pendeant, ut sine ipso nec esse nec concipi possint³; et denique quod omnia a Deo fuerint praedeterminata, non quidem ex libertate voluntatis sive absoluto beneplacito⁴, sed ex absoluta Dei natura sive infinita potentia⁵.» Nullo sane jure ex allatis depromi possunt insinuationes vel Atheismi vel Pantheismi, in Spinozam factae. Docuit vero vir laudatus insuper sequentia: »Rem extensam et rem cogitantem vel attributa Dei esse, vel affectiones attributorum Dei⁶;» Deum esse causam omnium rerum immanentem, non vero causam rerum transeuntem vel remotam dici posse⁷, (i. e. »quae cum effectu nullo modo conjuncta sit«); 10
 »Cujuscunque attributi modi Deum, tantum quatenus sub hoc attributo consideratur, pro causa habent⁸; Attamen rerum singularium causa tantum alia est res singularis, et sic in infinitum⁹.

Liquet hinc: Spinozam per doctrinam de unitate Substantiae dualisimum Systematis Cartesiani evitasse. Statuit ita, loco concursus divini, »eundem esse ordinem et connexionem Idearum, ac ordinem et connexionem rerum.« At haec ipsa Substantia nihil aliud est, nisi hoc vel illud Attributum. Attributa porro nihil aliud sunt, nisi *totum* modificationum. Modi denique nil aliud, nisi res singulares¹⁰.

Substantia igitur non, nisi in modis, existit, nec causa est modorum, 20

h. e. in rerum natura non, nisi unam Substantiam, dari, eamque absolute infinitam esse.»

¹ Propos. XVII, Corollar. I et II. Utitur auctor in Scholio demonstratione ad hominem, ita contexta: »Imo adversarii omnipotentiam Dei negare videntur. Coguntur enim fateri, Deum infinita creabilia intelligere, quae tamen nunquam creare poterit. Nam alias, si scilicet omnia, quae intelligit, crearet, suam, juxta ipsos, exhauriret omnipotentiam et se imperfectum redderet. Ut igitur Deum perfectum statuunt, eo rediguntur, ut simul statuere debeant, ipsum *non posse* omnia efficere, ad quae ejus potentia se extendit.« Ejusdem rationis est Schol. II ad Propos. XXXIII:am: »Ipsimet concedunt ex solo Dei decreto et voluntate pendere, ut unaqueque res id, quod est, sit. Nam alias imperfectionis et inconstantiae argueretur. At cum in aeterno non detur *quando*, nec *ante*, nec *post*; hinc ex sola scilicet Dei perfectione sequitur, Deum aliud decernere nunquam potuisse; sive Deum ante sua decreta non fuisse, nec sine ipsis esse posse.« 30

² Vide infra.

³ Propos. XV. Scholion huic propositioni affixum perlegisse neminem certe poenitebit. Nam foveat plerique nostri sevi philosophorum opiniones de finito et infinito ita confusas atque inconditas, ut mirum in modum exellant, quae de hisce rebus attulit Spinoza. 40

⁴ Propos. XXXII, Corollar. I et II.

⁵ Propos. XVII, XXXIV et XXXV.

⁶ Propos. XIV, Corollar. II, cui etiam adjungenda sunt Definit. IV: »Per attributum intelligo id, quod intellectus de Substantia percipit, tamquam ejus essentiam constituens« et V: »Per modum intelligo Substantiae affectiones, sive id, quod in alio est, per quod etiam concipitur.« Cfr. Partis 2:ae Ethices. Propos. I et II.

⁷ P. I, Propos. XVIII et Schol. ad Propos. XXVIII.

⁸ P. 2, Propos. V. VI.

⁹ P. I, Propos. XXVIII; P. 2, Propos. VII Schol.; ex quo dicta maximi momenti sequentia afferemus: »Nec ulla alia de causa dixi, quod Deus sit causa Ideae ex gr. circuli, quatenus tantum est res cogitans, et circuli, quatenus tantum est res extensa; nisi quia esse formale Ideae circuli non, nisi per alium cogitandi modum, tanquam causam proximam et ille iterum per alium et sic in infinitum, potest percipi, ita ut, quamdiu res ut cogitandi modi considerantur, ordinem totius naturae, sive causarum connexionem, per solum cogitationis attributum explicare debeamus; et quatenus, ut modi extensionis, considerantur, ordo etiam totius naturae per solum extensionis attributum explicari debet et idem de aliis attributis intelligo. Quare rerum, ut in se sunt, Deus revera est causa, quatenus ex infinitis constat attributis; nec impraesentiarum haec clarius possum explicare.« 50

¹⁰ P. 2, Axiom V. »Nullas res singulares praeter corpora et cogitandi modos, sentimus nec percipimus« et Definit. I. »Per corpus intelligo modum, qui Dei essentiam, quatenus, ut res extensa, consideratur, certo et determinato modo exprimit.« 60

DE VI HISTORICA
DISCIPLINAE PHILOSOPHICAE LEIBNITII
MEDITATIONES,

QUAM

PARTEM SECUNDAM

VENIA SUPERIORUM, CONSSENSU AMPL. FAC. PHIL.
AD. UNIV. IMP. ALEX. IN FINNIA,

PUBLICAE MODESTE SUBIICIUNT CENSURAE

JOHANNES WILHELMUS SNELLMAN,
Philosophiae Magister et Docens,

ET

RESPONDENS

HERMANNUS FREDERICUS SOHLBERG,
*Superintendentes Facultatis,
Utriusque Juris.*

In Auditorio Juridico die xx Junii MDCCCXXXVI.

H. F. S. S.

HELSINGFORSIAE,
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA FRACKELLIANA.

DE VI HISTORICA
DISCIPLINAE PHILOSOPHICAE LEIBNITII
MEDITATIONES,

QUAM

PARTEM TERTIAM

VENIA SUPERIORUM, CONSSENSU AMPL. FAC. PHIL.
AD. UNIV. IMP. ALEX. IN FINNIA,

PUBLICAE MODESTE SUBIICIUNT CENSURAE

JOHANNES WILHELMUS SNELLMAN,
Philosophiae Magister et Docens,

ET

RESPONDENS

JOHANNES FREDERICUS CAJAN,
Utriusque Juris.

In Auditorio Juridico die xviii Junii MDCCCXXXVI.

H. A. S. S.

HELSINGFORSIAE,
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA FRACKELLIANA.

nisi ipsa modificatione affectus, i. e. uti modus¹. Hinc Deus Spinozae Persona non est. Nam Substantia, per se, modos non ponit, sed tantum supponit; ideoque modis inhaeret sive immanet. Neque tamen disciplina Spinozae Pantheismus nominanda. Non enim inest Substantia modis vel affectionibus suis, uti finitis, sed uti infinitis, sub aeternitatis specie. Quae aeternitas veram rerum singularium efficit naturam. Oritur notio finiti eo, »quod Mens nec sui ipsius, nec sui corporis, nec corporum externorum adaequatam, sed confusam tantum cognitionem habeat, quoties ex communi naturae ordine res percipit.« Quam ob rem optime huic disciplinae convenit nomen *Akosmismi*, quo ab Hegelio appellatur. Si fontem quaeis erroris, in eo positum crediderimus: quod *Spinoza*, licet cogitationem attributum esse posuerit Substantiae, hanc tamen positionem ipsius Substantiae positionem esse non statuerit. Ita cogitatio ipsa atque extensio attributa haud necessaria facta sunt, positiones intellectus, eo ipso aequae contingentis et obventitii. Unde jam contingentia rerum ad hunc eundem intellectum delegata est. Patet igitur *Spinozam* necessariam et infinitam supposuisse mundi (et cogitationis et extensionis) existentiam, Deumque, uti naturam naturantem, huic immanentem statuuisse; atque ita et Subjectivitatem Dei et Objectivitatem mundi annihilasse. Quare non dubitamus, quin in Realistarum numero sit habendus.

§. III.

Forsan ultra, quam quod titulo, fronti hujusce opusculi inscripto, apte conveniat, in his commorati sumus. Attamen verendum nobis est, ne, in tanta rei gravitate, brevitatis potius accusemur atque levitatis, quam nimis verborum redundantiae. Ne vero hujus etiam criminis reddamur rei, expositionem disciplinae Philosophicae *Godofridi Guilielmi Leibnizii*, quantum fert infirmitas virium, accuratam atque concisam aggrediemur.

Etsi dictu facile non sit, an *Leibnizius* disciplinam *Spinozae* penitus didicerit, apparet tamen, virum celeberrimum et *Spinozam* et *Cartesium* in philosophando respexisse. Notissimum est effatum illud: *nisi existerent monades, disciplina Spinozae vera esset*. Pluribus ceteroquin locis *Spinozae*² recordatur, quamvis nullibi, quod nos sciremus, praecipuam hujusce

¹ Haec de Systemate Spinozae sententia sequentibus nititur argumentis: Attributum essentiam Dei constituit (ex Definit. allata); »Omnia quae ex absoluta alicujus attributi natura sequuntur — — — per idem attributum aeterna et infinita sunt« P. 1, Propos. XXI; Cujuscunque attributi modi Deum, quatenus tantum sub illo attributo, cujus modi sunt, et non, quatenus sub ullo alio consideratur, pro causa habent« (per Propos. VI, P. B); Est vero quodvis attributum causa modi alicujus tantum eo, quod hic non, nisi per alium modum, percipi possit; ac determinatur ideo quodcunque singulare ab alio singulari ad certo modo existendum; (ex supra Not. 25 allatis) Cfr. P. 2, XLV, et Scholion, ubi haec: Nam etsi unaquaeque [res singularis] ab alia re singulari determinetur ad certo modo existendum, vis tamen, qua unaquaeque in existendo perseverat, ex aeterna necessitate naturae Dei sequitur; porro »In rerum natura nullum datur contingens; sed omnia ex necessitate divinae naturae determinata sunt ad certo modo existendum et operandum« (P. 1, Propos. XXIX), et (in fine appendicis citatae) »Solent multi sic argumentari: Si omnia ex necessitate perfectissimae Dei naturae sunt consecuta, unde ergo tot imperfectiones in natura ortae?« »Sed, ut modo dixi, facile confutantur. Nam rerum perfectio ex sola earum natura et potentia est aestimanda, nec ideo res magis aut minus perfectae sunt, propterea quod — — — humanae naturae conducunt, vel quod eidem repugnant.« Errasse igitur putaverim celeb. Rixner (l. c. 21, 7), de Prop. XXVIII P:is 1:ae dijudicantem »es kann nur von der schlechten Endlichkeit in ihrer Trennung von Gott verstanden werden.« Nam ex allatis constat *Spinozam* ejusmodi finitum non adminisse, sed omnia infinita esse statuuisse. Quod ut clarius eluceat Confer Scholion Propositionis XV; P:is 1:ae, et Prop. XXIX usque ad XXXVI, P:is 2:ae, cum Corollaris et Scholiis.

² Vide G. V. *Leibnitz Theodicaea, aus dem Französischen übersetzt; Hannover*

de Substantia doctrinam plenius recensuerit. Quae omnia minoris sunt momenti. Nam certe aliquid haecce disciplina tunc temporis valuit ad dubitationes, contra Systema Cartesii, movendas. Jam igitur demonstrare conabimur, Leibnizium et Realismum Spinozae et abstractum Cartesii Idealismum, in Principiis suis Philosophicis, evitare studuisse. Sunt vero haec principia: Deus omnium rerum est causa, extra seriem contingentium posita¹; nullis continetur limitibus, sed omnem in se habet realitatem possibilem²; haec possibilitas existentiam Dei involvit necessariam³; omnes monades creatae aut derivativae productiones sunt divinae⁴; Sunt vero monades substantiae simplices, elementa rerum⁵, natura diversae, qualitatibus igitur praeditae et mutationibus obnoxiae⁶; Status monadum transiens perceptio est; quae strictius exposita, in eo consistit, quod quaelibet monas, ceu speculum, imagines reddat rerum, vel confusas — qua re imperfecta est et ab aliis patitur — vel distinctas — per quod perfectior est et activa —⁷; est tamen monadis cujusque in aliam monadem influxus

1735. (Cum dedicatione D:ni G. Friedrich Richter) pag. 14, 187, 339, 577 seqq. Cfr. 369 et Epistolam ad Hanschium: (Ej. Leibnizii Princ. Philos., more geometrico demonstrata, Francofurti et Lipsiae 1728, pag. 147).

20 ¹ Vide: Principia Philosophiae, auctore G. G. Leibnizio, demonstrationi citatae praemissa, §. XXXVII. »Et quemadmodum tota haec series (quae reperitur in universo creaturarum) non nisi alia contingentia anteriora involvit, quorum unumquodque simili analysi opus habet, ubi rationem reddere voluerimus, progressus nil juvat: necesse est, rationem sufficientem, seu ultimam, extra seriem contingentium reperiri, quantumvis infinita ponatur.» Haec ratio »in substantia quadam necessaria contineri debet» (§. XXXVIII) et una; propterea »non nisi unus datur Deus, atque hic Deus sufficit» (§. XXXIX).

² l. c. §. XL: »Cum (haec Substantia, Deus) nihil extra se habeat, quod ab ea non dependeat, et simplex rerum possibilium series existat.»

30 ³ l. c. §. XLV et in Theodicaea §. VII (pag. 114), quam maximi momenti totam afferemus »Gott ist die erste Ursache aller Dinge. Denn diejenigen Dinge, die ihre gewisse Grenzen und Schranken haben, das ist alles was wir sehen und erfahren, sind zufällige Dinge, die nichts in sich enthalten, was ihre Existenz nothwendig machet, indem klar und offenbar ist, dass die Zeit, der Raum und die Materie, die mit einander vereinigt, die an und für sich selbst gleichförmig und zu allem indifferent sind, ganz andere Bewegungen und Figuren, und in einer andern Ordnung bekommen könnten. Man muss demnach die Ursache von der Existenz der Welt, welche nichts anders ist als ein vollständiger Begriff aller zufälligen Dinge, suchen, und zwar in derjenigen Substanz, welche den Grund ihrer Existenz in sich selbst hat, und folglich nothwendig und ewig ist. Diese Ursache muss auch weise und verständig seyn. Denn weil diese Welt, die wirklich existiret, nur zufällig ist, und unendlich viel andere Welten ebenfalls möglich sind, und so zu reden, so wohl wie diese, an der Existenz einen Anspruch machen; so muss die wirkende Ursache der Welt gegen alle diese mögliche Welten eine gewisse Relation und Absicht gehabt haben, um eine davon zu erwählen. Und diese Relation einer existirenden Substanz, gegen Dinge die bloss möglich sind, kann nichts anders als der Verstand seyn, der die Begriffe davon hat; und eine davon erwählen, kann nichts anders als der Actus des Willens seyn, welcher erwählet. Die Macht dieser Substanz macht den Willen kräftig. Die Macht gehet auf das Seyn; die Weisheit oder der Verstand auf das Wahre; der Wille auf das Gute. Diese verständige Ursache muss ferner auf alle Weise und Wege unendlich, und an Gewalt, Weisheit und Güte, ganz vollkommen seyn, weil sie sich auf alles mögliche erstreckt. Und gleichwie alle Dinge eine Verbindung mit einander haben, so darf man nicht mehr als eine einzige zulassen. Ihr Verstand ist die Quelle des Wesens (der Essentiarum), ihr Wille der Ursprung des Seyns (der Existentiarum). Hier haben wir in wenig Worten den Beweis von einem einigen Gott mit seinen Vollkommenheiten, und durch ihn den Ursprung aller Dinge. Cnfr. CXVI et Princ. Philos. LV seqq.

⁴ Princ. Philos. XLVIII: »per continuas divinitatis fulgurationes.» (Nam §. VI) »nec oriri, nec finire possunt, nisi in instanti.» Cfr. LXXVI.

60 ⁵ Princ. Philos. I et II; Theodicaea LXXXIX, XC et in Discurs von der Uebereinstimmung des Glaubens mit der Vernunft §. X.

⁶ Princ. Philos. VIII, IX, X.

⁷ l. c. XIV: »Quam (perceptionem) probe distinguere debemus ab Apperceptione

tantum idealis¹. Deus, monas monadum, uti qui unus plena gaudeat perceptione², realiter has per harmoniam praestabilitam efficit mutationes.³

Per hanc conveniunt anima et corpus⁴, per eandem regnum physicum naturae et regnum morale gratiae⁵.

Pluribus infra rem persequemur. Etenim ex allatis jam perspicui potest: *Leibnitium*, cum Deum extra seriem rerum creaturarum posuerit, ad disciplinam Cartesianam iter quasi revolvere; altera ex parte etiam *Spinozae* premere vestigia, unitatem Substantiae et necessitatem urgens mundi existentis⁶, cum nempe Dei ad res creatas relatio intellectum *illius* efficiat, atque ita duplicem secutum esse viam, in existentia divina probanda; et »a priori,« ex possibilitate, et »a posteriori,« ex principio rationis sufficientis, per quod hanc ipsam firmavit possibilitatem⁷. Haec est res, in qua, *primo*, positam esse putaverimus vim disciplinae Philosophicae *Leibnitii*. Quam eandem aliter etiam explicare fas est. 10

2. Patet nempe *Cartesio* curae fuisse, existentiam divinam ex sola Dei notione, i. e. per *argumentum Ontologicum* probare. *Leibnitius* primus in eo *Cartesium* peccasse ostendit, quod hanc notionem uti per se veram supposuerit, cum tamen revera ex contingentia mundi, i. e. per *argumentum cosmologicum*, orta sit. Fuit eadem via demonstrationis, a *Spinoza* adhibitae. Cum vero mundi contingentiam cognitioni humanae vitio verteret, argumento non proprie usus est cosmologico. Attamen mundum uti infinitum, supposuit, atque ita cum mundo, sub aeternitatis specie cogitato, ipsam, ut jam attulimus, confudit Dei notionem. Quod perspicuus *Leibnitius*, Realismum *Spinozae* una cum abstracto *Cartesii* Idealismo evitare studens, argumentum Ontologicum cum Cosmologico connectit, et sane eo animo, ut sit hoc antecedens vel prius. Immo vero novum addit argumentum per quod a notione Dei ad notionem mundi progreditur, puta *Teleologicum*, tali fere usus demonstratione: In Deo nil est arbitrarium, nulla datur *indifferentia aequilibrii*⁸; »infinita vero sunt universa possibilis in Ideis Dei« — »ita necesse est, dari rationem sufficientem electionis Divinae«⁹; producit igitur Deus »secundum Principium melio- 20

seu conscientia;» XVI, LI, LII.

¹ l. c. VII, LIII, LXVI; Theod. LXVI.

² Princ. Philos. LXII: »Quamquam verum sit, quod haec repraesentatio (Monadum creaturarum) non sit nisi confusa, respectu parium universi, nec distincta esse possit, nisi quoad exiguam rerum partem. h.e. earum, quae aut propiores sunt, aut majores respectu uniuscujusque monadis; *alias quaelibet monas foret aliqua divinitas*; et L:nam »in Deo haec attributa (perceptionis et appetitus) sunt absolute infinita v. perfecta.« 40

³ Princ. Philos. LIII seqq., LXXXI; Theod. CCVIII.

⁴ Princ. Philos. LXXXII, LXXXIV: »corpora agunt, ac si (per impossibile) nullae darentur animae, animae agunt, ac si corpora nulla darentur, et ambo agunt, ac si unum influeret in alterum.«

⁵ Princ. Philos. XC seqq. Theod. CXII, CXVIII.

⁶ Theod. CCCXII.

⁷ Princ. Philos. XLV, XLVI. Hanschius l. c. effatum attulit Leibnitii, in *Memoires pour l'Histoire des sciences et des beaux arts*: »On suppose tacitement, que Dieu ou bien l'Estre parfait est possible. Si ce point etoit encore démontré, comme il faut, on pourroit dire que l'Existence de Dieu seroit démontré geometriquement à priori. Et cela montre ce que j'ay déjà dit, qu'on ne peut raisonner parfaitement sur des idées, qu'en connoissant leur possibilité: a quois les geometres ont pris garde, mais pas assez les Cartesiens.« 50

⁸ Princ. Philos. XLVII; Theod. CXCIX et CCCXXXVI. »Gott kann in keiner Sache undeterminirt Seyn; es kann ihm nichts unwissend seyn, er kann nicht zweifeln; Er kann sein Urtheil nicht aufschieben; sein Wille bleibt bloss und allein beym Besten stehen.«

⁹ Princ. Philos. LV.

ris»¹. »Atque id ipsum causa est existentiae melioris, quod *Deus* vi Sapientiae cognoscit, vi Bonitatis eligit, et vi Potentiae producit»². Patet hinc, *Leibnitium* per argumentum Teleologicum non Dei existentiam, sed potius existentiam mundi necessariam, i. e. existentiam realem optimam, rationi (Sapientiae divinae) congruam esse, probare. Quinimmo ad veram causae finalis notionem propius, quam quod vulgo iudicarunt critici, accessit³. Putaverim ita, haecce tria argumenta a *Leibnitio* ita conjungi, ut firmanda sit, per *Cosmologicum*, notio Dei, Entis necessarii; per *Ontologicum* (ex hac notione), existentia Divina; per *Teleologicum* (ex natura Dei), existentia mundi necessaria⁴. At sectatores *Leibnitii*, posthac Wolfiani, hunc plane omiserunt nexum argumentorum ac eidem, uti coordinatis, ad existentiam Dei probandam usi sunt. Quam rem *secundo loco* in Systemate laudato observandam existimaverimus. Sin haesitet L. B., nec eandem satis liquere putet, magni certe subsequencia, ad fidem rei faciendam, erunt momenti. Arcte enim haec cum expositis cohaerent, uti ad doctrinam de Harmonia praestabilita pertinentia.

3. Nullo recordamur negotio, *Leibnitium* per Harmoniam praestabilitam illam designare potentiae divinae praeordinationem, qua Deus ab aeterno mutationes monadum, alteram alteri ita adaptavit, ut, quamvis sit earum vis in se invicem agendi tantum idealis, tamen realis sequatur hujus actionis effectus⁵. Parvi certe operis cuique videtur concludere: Deum, omnia praeordinantem, omnium etiam rerum conscium fuisse, i. e. cogitatione res omnes sibi depinxisse. Attamen suspensus plerisque haerebit animus, si exinde necessitatem creationis, uti quae necessaria sit ipsius Dei positio (notionis suppositio divinae), colligi audiverint. Nam glebae, ut ita dicam, adscriptus est homo, neque satis realitatis cogitationibus divinis inesse putat. *Leibnitium* in his etiam caeteris, animi atque ingenii praestantia, potiorum esse, certo certius, ni fallimur, constat. Docuit enim vir laudatus: *Deum* non tantum omnem complecti realitatem possibilem, sed etiam *in creando ad id obligari*⁶, *ut cujusque monadis respectum faciat*⁷, i. e. ad cujusque naturam attendat. Sequitur hinc creaturam (effec-

¹ I. c. XLIX; Theod. VIII at X: Zwar kann man sich wohl mögliche Welten ohne Sünde und Unglück einbilden — — — »Allein oben diese Welten würden der unsrigen, am Guten, gar weit nachzusetzen seyn. Ich kann Euch dieses zwar unmöglich, nach allen Stücken und Umständen vorstellen; denn ich müsste unendliche Dinge begreifen und unter einander vergleichen können. Allein ihr müsset es mit mir *ex effectu* schliessen weil Gott diese Welt, so wie sie ist, erwähnt hat.»

² Princ. Philos. LVII, Cfr. supra Not. 31 et in Theod. CL.

³ Vide. Theod. CCIIX, quo loco his loquitur: »Denn wenn man den Effect zwar grösser, die Mittel und Wege aber nicht so einfach setzte, so bin ich der Meynung, man könnte nach einem genauen Ueberschlag sagen, der Effect wäre nicht selbst so gross; *woferne man nämlich nicht allein den letzten, sondern auch den mittlern Effect betrachtete*. Denn der Weiseste macht, so viel möglich, dass die *Mittel* auch einiger maassen zum Endzweck werden, das ist, dass man sie nicht allein wegen ihrer Wirkung sondern auch wegen ihrer eigenen Natur wünschet und verlangt.»

⁴ In Theodicaea CLXXIV seqq., ubi inter necessitatem Methaphysicam distinguitur et moralem (dass Gott von seiner Güte und Vollkommenheit determinirt wird).

⁵ Vide supra Not.

⁶ Princ. Philos. LIV: »Deus enim duas substantias simplices (i. e. monades) inter se comparans, in unaquolibet rationes deprehendit, quibus obligatur, unam aptare alteri, et consequenter id, quod activum est, quatenus certo respectu passivum secundum alium considerandi modum; activum nempe, quatenus id, quod distincte in eo cognoscitur, inservit rationi reddendae de eo, quod in alia contingit, et passivum, quatenus ratio de eo, quod in ipsa contingit (h. e. confuse cognoscitur), reperitur in eo, quod distincte cognoscitur in altera.»

⁷ Princ. Philos. LXII: res aliter se habere non posse, »quoniam Deus, totum ordinans, *respexit ad quamlibet partem et imprimis ad unamquamque monadem;*»

tum) esse suppositionem, qua posita, ipse creator (causa) existit. Posuit igitur *Leibnitius*, revera, necessarium creatorem inter et creaturam nexum, etiam quoad necessitatem methaphysicam (conceptuum). Haec est *tertia* nostra de vi disciplinae laudatae historica meditatio. Loco a nobis jam citato (Theod. CLXIV) notionem necessitatis Metaphysicae, in relatione creaturae ad creatorem ponderanda, *Spinozae* tribuit auctor. Confitendum sane est mundi necessitatem, qualem eam exposuit *Leibnitius*, toto coelo a *Spinoziana* illa differre. At est, quae moralis appellatur necessitas, illi, quam nos methaphysicam nominavimus, non tantum consimilis, sed plane aequalis. Nam nihil est »ratio« illa »sufficiens Electionis divinae« vel »causa existentiae melioris« (Vide supra), nisi *mundi creati in Ideis Dei praexistentia*¹. Infinita sane esse putat *Leibnitius* possibilis, at mundum existentem optimum; nam naturae divinae est, id velle, quod optimum sit. Notissimum est sectatores *Leibnitii* contingentiam statuere monadum derivatarum; quod vero nullo, ut nobis videtur, suo faciunt jure. *Leibnitius* enim, contingentiam rerum pro vera habens, atque hac assertione *Akosmismum* fugiens, eas quoad causam proximam, finitam, contingentes, quoad Deum vero praevisas et determinatas esse probat². Quae eadem est differentia, ac inter existentiam cogitationis et materiei.

4. Si haec ad ea, quae jam de argumento dicta sunt Teleologico, transulerimus, clarius adhuc enitebunt supra allata. *Leibnitium* nempe statuuisse patet: mundum existentem causam supponere necessariam, Deum, positionemque ita Dei esse; Deum porro, uti causam efficientem, mundum existentem supponere; relationemque igitur causae et effectus mutuum esse³. Unica tantum objicitur difficultas; transitus nimirum (v. regressus) ab ideali, i. e. rerum possibilium in ideis Dei existentia, ad existentiam mundi finitam, contingentiam mundi; quam rem nos designavimus nomine repugnantiae inter existentiam cogitatam et materialem. Sufficit heic, innuisse tantum, transitum a contingentia mundi ad causam necessariam

nam (LIII) »in Ideis Dei una *Monas* cum ratione postulat, ut *Deus*, ordinans ceteras, in principio rerum ipsius rationem habeat.« Sic etiam in Theod. LXVI: »Es dependiren nehmlich diese beyden Substanzien (Seele u. Leib) von einander, insofern als die Ursache desjenigen, was in der einen geschieht, aus demjenigen kann gegeben werden, was in der andern befindlich; welches in den Rathschlüssen Gottes schon damals statt gehabt, als er zum voraus die Harmonie angeordnet, die zwischen ihnen seyn sollte;« et ibid. IX: »Ja jede Sache hat in der Idee, noch vor ihrer Existenz, zu dem Göttlichen Entschlusse, der über die Existenz aller Dinge genommen worden, etwas beygetragen.« Et ibid. LXXIX: »Ich weiss nicht ob es Leute geben möchte, die daraus, dass Gott der unumschränkte Herr aller Dinge ist, mit genugsamen Grund zu schliessen vermeynen, es sey ihm alles gleichgültig was ausser ihm ist;« — — — »Allein wenn man das von Gott lehren wollte, so würde man ihm alle Weisheit und Gutigkeit absprechen.«

¹ Princ. Philos. LVI: »Atque haec ratio reperiri nequit nisi in gradibus perfectionis, quam hi mundi continent, cum quodvis possibile habeat jus praetendendi existentiam, pro ratione perfectionis, quam involvit.« Et Theod. XLV: »Und eben desswegen ist die Wahl frey, und von aller Nothwendigkeit ausgenommen, weil sie unter vielen möglichen Dingen wählt, und weil der Wille nur von der überwiegenden Güte des Objecti determinirt wird.« Non igitur apte objicitur: Deum, ex principio melioris agentem, ab externo quodam ad agendum determinari. Nam non est haec ratio tantum extraneum aliquid et ideale, sed in ideis, ut dicit *Leibnitius*, ipsius Dei posita atque realia, intimam quasi constituens Dei naturam.

² Theod. XLIV: »Alle Philosophen erkennen es, indem sie gestehen, die Wahrheit der künftigen, zufälligen Dinge sey determinirt, und dennoch bleiben diese Dinge zufällig.«

³ Ultimo denique loco citentur sequentia, in Theod. LXXVII: »Allein wenn man recht verfahren will, muss man so wohl auf der einen Seite die Independenz Gottes und die Dependenz der Creaturen behaupten, als auf der andern Seite die Gerechtigkeit und Gütigkeit Gottes, welche macht, dass er von sich selbst, sein Wille aber von seinem Verstande und von seiner Weisheit dependirt.«

revera transitum esse ab existentia cogitata. Etenim haec ipsa contingentia cogitatione concipitur. Cogitationis vero est, rerum existentium naturam universalem concipere. Subtilis haec, quam *Hegelio* debemus, non mediocriter rem illustrat, atque hujusce Systematis cum disciplinis *Spinozae* et *Cartesii* nexui addit lumen. Sed haec, dum *Hegelii* de rebus allatis exposuerimus doctrinam, in medio relinquenda.

10 Videamur forsitan nostras potius e decretis *Leibnitii* conclusiones, quam haec ipsa decreta, vel genuinam auctoris sententiam exposuisse. Probe vero observandum: magni ingenii viros saepenumero, per inspirationem quasi, intimam rerum naturam animo praesentem habere, etsi, percepta verbis exposituri, veritatem, continuam et sibi consentientem, in theses a se invicem disjunctas conseruerint; culturam porro temporum in eo positam esse, ut magis magisque in dies explicentur, quae a majoribus tradita accepimus; denique non quaeri, quid auctorum quisque his verbis vel illis exprimere voluerit, sed quonam modo a nobis intelligenda sint verba auctoris. Elicitur vero sensus verborum per comparisonem. Quam nos, pro virium modulo, accuratam instituimus, neque quidquam sententiae a nobis enunciatae contrarium invenire potuimus. Nulla vero alia re refellimur, nisi effatis auctoris, dictis, quae citavimus, approbantibus contrariis.

20